Luebbert, Eduard
Diatribe in Pindari locum de Adrasti regno Sicyonio

NATALICIA

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

AB

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

DIE XXII MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXIIII

IN AVLA MAGNA HORA XI PVBLICE CONCELEBRANDA

RECTORIS SENATVSQVE AVCTORITATE

INDICIT

EDVARDVS LVEBBERT

PRAEMISSA EST DIATRIBA
IN PINDARI LOCVM DE ADRASTI REGNO SICYONIO

BONNAE

EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

1. Num omnino probabile sit, Pausaniam in Sicyoniae descriptione superioris cuiusdam eruditi opus pressius secutum esse.

Extat apud Pausaniam 2, 5, 6 ad 2, 6, 7 antiquissimorum apud Sicyonios regum enumeratio, usque ad Heraclidarum adventum continuata. Haec tabula non nomina sola continet, nec solitam in anagraphis ieiunitatem ostendit, sed alacrior longe est, fabulis variata et rerum gestarum memoria ornata. Insunt deorum ad reges commeantium miracula, mulierum cum deis coniugia, bellorum breves mentiones; habet haec anagrapha speciem plane narrationis e volgi ore exceptae. Accedit ad vivae vocis imaginem confirmandam frequens vocabulorum λέγουσιν et φασίν iteratio. His facile adducare, ut Pausaniam, quae de urbe Sicyone et agro Sicyonio scripsit (2, 5, 5 ad 2, 12, 2), pleraque ab ipsis Sicyoniis, ab periegetis et aedituis accepisse credas. Mihi ipsi plane persuasum est, Pausaniam rerum Sicyoniacarum esse testem oculatum. Tamen doctior est haec earum antiquitatum expositio, quam quae omnis ex illorum mystagogorum supellectili et penu repeti possit. Itaque probabilius est, Pausaniam egregii cuiusdam, qui plane in antiquitatibus Sicyoniis habitaret, auctoris opus, antequam urbem adiret, lectitavisse, eaque lectione instructum deinde omnia maiore cum fructu percontatum et perscrutatum esse. Neque vero meliorem quemquam in eo proposito ducem sequi potuit, quam Menaechmum, Sicyone natum, Σικυωνιακῶν auctorem. Felici vero casu accidit, ut in praestantissimis Menaechmi fragmentis, quamquam paucis tantummodo lineis contineantur, tamen res nonnullae insint valde subtiles et exquisitae, quae Menaechmo cum Pausania communes sunt. Eis inspectis vix, opinor, dubium relinquetur, quin Menaechmo auctore Pausanias usus sit. Sed huius rei argumenta nunc accuratius examinanda sunt.

2. Pausaniam Menaechmi Sicyonii opere usum esse, primum demonstrat anagrapha regum Sicyoniorum antiquior ambobus communis.

Ac primum quidem, unde propiorem quandam inter Pausaniam et Menaechmum cognationem colligas, hoc est, quod ambo in regum Sicyoniorum serie Adrastum continuo post Polybum collocant eumque Polybi successorem legitimum dicunt, qui Polybi nepos ex filia fuerit. Paus. 2, 6, 6 Πόλυβος δὲ Ταλαῷ τῷ Βίαντος βασιλεύοντι Ἀργείων Λυσιάνασσαν τὴν θυγατέρα ἔδωκε· καὶ ὅτε Ἄδραστος ἔφευγεν ἐξ Ἄργους, παρὰ Πόλυβον ἦλθεν ... καὶ ὕστερον ... τὴν ἐν Σικυῶνι ἀρχὴν ἔσχεν. Cum Pausania consentit Menaechmus Schol. Pind. Nem. IX, p. 493 extr. Μέναιχμος δὲ ὁ Σικυώνιος οὕτω γράφει· ... Ἄδραστος δὲ ... φυγὼν ἦλθεν εἰς

Σικυῶνα, καὶ τὴν τοῦ μητροπάτορος βασιλείαν λαβὼν ἐβασίλευσε τῆς Σικυῶνος. Iam vero notum est, quanto studio Clisthenes conisus sit, ut hoc inter Polybum et Adrastum propinquitatis vinculum ex hominum memoria extingueret, simul ut Adrasti regnum quam longissimo intervallo a Polybo dirimeret. Clisthenes duorum regum regna, Inachi et Phaesti, post Polybum collocavit, alterum annorum 42, alterum annorum 8, eum in modum, ut quinquaginta annorum spatio Adrastus a Polybo diiungeretur. In Eusebii Chron. vol. II ed. Schoene p. 45—51 Hieronymus haec regum nomina habet: *Polybus annis 40* (Syncellus ed. Dind. p. 279, 16 annos habet 43); *Inachus a. 42* (Syncell. p. 279, 18); *Phaestus a. 8* (Syncellus p. 280, 1 Ἥφαιστος ἔτη ι'); *Adrastus a. 4* (Syncell. p. 280, 3 annos 7). Atqui haec Clisthenis regum anagrapha tantum penes eruditos antiquos homines plausum et auctoritatem nacta est, ut fere sola, potissumum post Apollodorum, regnaret. Ex his opinor apparet, quam vim habeat Pausaniae cum Menaechmo in antiquiore horum regum ordine servando consensus. In ipsa urbe Sicyone Clisthenis auctoritas non tantum valuit, ut non post Orthagoridarum finem antiqua regum memoria revivisceret. Inde Herodotus et Pindarus hauserunt. Nec mirum est, diadochorum etiam tempore in Menaechmo, Sicyonis patriae alumno, tantam iudicii integritatem fuisse, ut antiquiorem anagrapham interpolatae praeferret. Sed progrediente tempore, in eruditorum certe orbe magis magisque Clisthenea anagrapha principatum obtinuit. Iam igitur quaeritur, quomodo factum sit, ut Pausanias, e tot scriptoribus aetatis suae solus, antiquom regum ordinem servaret. Confiteor, fieri potuisse, ut Pausanias illa ex viva volgi voce et fama acciperet, praesertim cum Adrasti in illa anagrapha fata et tempora cum veterum carminum epicorum narrationibus consentire videret. Obstat tamen huic sententiae, quod vix credibile est, illa aetate tam vivam etiamtunc antiquissimarum rerum memoriam apud Sicyonios fuisse, ut anagraphae illius tam plena tamque incorrupta notitia ex aedituorum et exegetarum sermonibus hauriri potuerit. His caussis fretus multo probabilius iudico, Pausaniam, antequam ipsam Sicyonem adiret, in Menaechmi opus praestantissimum incidisse eique utpote optimo duci confisum eoque munitum, licet id nusquam nominarit, ad obeunda urbis monumenta se contulisse.

3. Praeparatur illa quaestio, num Argivorum quoque regum anagrapha Pausaniae cum Menaechmo communis fuerit. Antiquissima quaedam eius anagraphae forma ex fabula de Proetidibus apparet.

Sed erunt fortasse qui hoc uno argumento rem nondum plane confectam arbitrentur. Itaque ad aliud nunc nos paullo etiam fortius et ponderosius argumentum convertamus, quod ipsum quoque eo demonstrationis genere nititur, quod in re quadam abdita et ad inveniendum difficili Menaechmus et Pausanias consentiunt. Sed hoc quoniam est paullo exquisitius, ampliore nunc quaestione considerandum erit. Communis est fere totius antiquitatis fama, Proeti filias furore concitas per agros et saltus mugientes palatas esse. Proetum igitur cum frustra omnia temptasset, inopem consilii Melampodem accivisse; eum puellas furibundas lymphatico quodam saltationis genere usum Sicyonem usque pro-

secutum esse (Apollod. 2, 2, 2, 7 μετ' ἀλαλαγμοῦ καί τινος ἐνθέου χορείας ... ἐς Σικυῶνα συνεδίωξε), atque ibi demum, placata deorum ira, voti patrem compotem factum esse, ut ad sanam mentem virgines restituerentur. Proetum deinde Melampodi mercedem antea pactam exsolvisse: duas regni Argivorum partes tertias, quarum alteram ipse Melampus, alteram frater eius Bias acceperit; eademque opera Melampodem puellarum alteram Iphianassam (Schol. Odyss. o, 225), Biantem alteram Lysippam (Apollod. 2, 2, 2, 1) in matrimonium accepisse. Hac fabula nihil fere volgatius et decantatius est, suntque plurimi eius testes. Ducit agmen Hesiodus in fragmentis e mulierum catalogo, cf. Hesiodi, Eumeli cett. fragm. ed. Marckscheffel p. 294. Eustathius versus servavit, quibus Hesiodus morbum descripsit a Venere seu Iunone excitatum, Eustath. Odyss. v, 401 p. 1746, 10 καὶ γάρ σφιν κεφαλῇσι κατὰ κνύος αἰνὸν ἔχευεν· || ἄλφος γὰρ χρόα πάντα κατέσχεθεν, ἐκ δέ νυ χαῖται || ἔρρεον ἐκ κεφαλέων, ψίλωτο δὲ καλὰ κάρηνα. Sequuntur Acusilaus ap. Apollod. 2, 2, 2, 2 et Pherecydes ap. Sch. Odyss. o, 225. E Romanis testis luculentissimus Vergilius Ecl. 6, 48 *Proetides implerunt falsis mugitibus agros*, ad quem locum Servius haec adnotavit: *Hae se cum Iunoni in pulchritudine praetulissent*, [*vel ut quidam volunt, cum essent antistites, ausae sunt vesti eius aurum detractum in usum suum convertere*]: *illa irata hunc furorem earum immisit mentibus, ut, putantes se vaccas, in saltus abirent et plerumque mugirent et timerent aratra. Has Melampus Amythaonis filius pacta mercede, ut Cyrianassam* (Ἰφιάνασσαν Pherecydes) *uxorem cum parte regni acciperet, placata Iunone, infecto fonte, ubi solitae erant bibere, purgavit et in pristinum sensum reduxit.* De Sicyone urbe, ubi Proetidum furori finis impositus sit, conf. Apollod. 2, 2, 2, 7 et Pausan. 2, 7, 8; 2, 9, 8; 2, 12, 2.

4. In antiquissima anagrapha Argolica Proetus Melampodi aequalis ponitur. Melampodis aetas mythica ex Odysseae loco o, 241—255 certissima.

Verum enim vero huius fabulae tam venerabilis et antiquae, a tot nobilissimis scriptoribus celebratae, paullatim — mirabile dictu — tamen fides et veritas in disceptationem vocari coepta est. Fundamentum ipsum, quo haec narratio de Melampodis cum Proeto commercio et consortio nitebatur, novo et miro plane oppugnandi genere concussum et labefactatum est. Ut brevi dicam: aetates et tempora, quibus Proetus et Melampus vixisse dicebantur, cum curiosius paullatim de temporibus antiquis ordinandis quaeri institutum esset, iam non satis inter se concinere videbantur. Priscis sane illis ante Heraclidarum reditum saeculis Proeti et Melampodis aetates optime inter se congruerant. Post magnam illam, quam Heraclidarum migrationem vocare solemus, omnium rerum conversionem, cum universa Peloponnesus in novom ordinem coacta, cum tot veteres domus regiae aut subversae aut alienis emblematis auctae essent, vetusta illa Achaïcae aetatis in fabulis texendis harmonia plurimis locis perturbata et dissoluta est. Iam igitur primum videamus, quemadmodum olim, Achaïcae dominationis tempore, Proeti et Melampodis aetas summopere consentiens et congrua fuerit. Melampodis aetas quo intervallo a bello Septem adversus Thebas abfuerit, optime declaratur loco praestantissumo Odysseae,

quo de Melampodidarum tota prosapia exponitur, Odyss. o, 241. Narrat poeta, quemadmodum in Argorum urbem venerit Melampus: ἔνθα δ' ἔγημε γυναῖκα καὶ ὑψηρεφὲς θέτο δῶμα, || γείνατο δ' Ἀντιφάτην καὶ Μάντιον υἷε κραταιώ. || Ἀντιφάτης μὲν ἔτικτεν Ὀικλῆα μεγάθυμον, || αὐτὰρ Ὀικλείης λαοσσόον Ἀμφιάραον, || . . . Μάντιος αὖ τέκετο Πολυφείδεά τε Κλεῖτόν τε. Polyphidis filius Theoclymenus est, Telemachi hospes vaticinandi arte praeditus, propter quem omnino stemma illud a poeta interponitur: Od. o, 256 τοῦ μὲν ἄρ' υἱὸς ἐπῆλθε, Θεοκλύμενος δ' ὄνομ' ἦεν, || ὃς τότε Τηλεμάχου πέλας ἵστατο. Series igitur Melampodidarum, nam duo sunt Melampodis filii, per quos stirps propagatur, altera haec est: *Melampus*, *Antiphates*, *Oïcles*, *Amphiaraus;* altera haec: *Melampus*, *Mantius*, *Polyphides* (quod nomen non cum Leutschio, Thebaïd. Cycl. reliquiae p. 48 in 'Polyidus' mutandum est), *Theoclymenus*. Pausanias quod 6, 17, 6 Mantium potius, pro Antiphate, Oïclis patrem vocat: Μελάμποδος γὰρ ἦν τοῦ Ἀμυθάονος Μάντιος, τοῦ δὲ Ὀικλῆς, corruptam iam sequioris aetatis doctrinam ostendit.

Ex his, quae allata sunt, clare apparet, quo intervallo a bello Septem adversus Thebas Melampus abfuerit. Iam sequitur, ut *Proetum* quoque in antiquissimis genealogiis eadem plane aetate floruisse eodemque temporis spatio ab Adrasti cum Thebanis bello diiunctum fuisse ostendamus. E Proeti posteris primum *Capaneus* belli Thebani aequalis est. Inter *Capaneum* vero et *Proetum* duae interiectae sunt aetates, duorum virorum nominibus insignitae: *Hipponoi* et *Megapenthis*. Proetus Capanei est proavos, i. e. avi pater. Haec antiquissimorum carminum epicorum computatio fuit, velut Thebaidis, unde sua hausit Schol. ad Pind. Nem. IX, p. 494 init. Προίτου Μεγαπένθης, οὗ Ἱππόνους, οὗ Καπανεύς, οὗ Σθένελος. Hoc stemma si cum Melampodidis conferatur, singuli singulis optime accuratissimeque respondent: *Capaneo Amphiaraus*, *Hipponoo Oïcles*, *Megapenthi Antiphates*, *Proeto Melampus*.

5. Antiquissima Proeti posterorum stemmatis forma plane congruit cum Melampodidarum stemmate. Demonstratur hoc purgata ab interpolationibus Iphiis genealogia.

Eadem ratio haud dubie in antiquissimis fabulis carminibusque epicis in alteram quoque Proetidarum stirpem, e qua *Iphis*, Capanei frater patruelis, prodiit, cadebat. Iphis Alectoris filius, potissumum liberorum suorum splendore clarus factus est: Evadnae, Capanei uxoris, quae exemplar plane et specimen fuit summae in coniugem fidei, et Eteocli, unius ex septem ducibus contea Thebas (Aesch. Sept. 458). Iphiis sane stemma in eo testimonio, quo solo de Iphiis avo constat, apud Pausaniam 2, 18, 5, non congruit cum Capanei stemmate; ibi enim Iphiis avos, Alectoris pater, non Megapenthes est, quem avom Capanei fuisse vidimus, sed *Anaxagoras;* Paus. 2, 18, 5 Ἶφις μὲν γὰρ Ἀλέκτορος τοῦ Ἀναξαγόρου. Sed Pausanias ex interpolatis iam fontibus hausit, ut postea apparebit. Et est quaedam via nobis parata ad verum inveniendum. In ipsis enim fontibus interpolatis fratres sunt *Alector*, Iphiis pater, et *Hipponous*, Capanei pater; Schol. Eurip. Phoen. 181 Καπανεὺς Ἱππονόου τοῦ Ἀναξαγόρου. De Alectore idem testatur locus Paus. 2, 18, 5 modo allatus. Eodem tendit Pausanias, cum Capaneum et Iphin fratres patrueles vocat, 2, 18, 5

Ἶφις μὲν γὰρ ὁ Ἀλέκτορος τοῦ Ἀναξαγόρου Σθενέλῳ τῷ Καπανέως ἀδελφοῦ παιδὶ ἀπέλιπε τὴν ἀρχήν, hoc enim loco vocem ἀδελφός fratem patruelem significare, nec cum nonnullis apud Pausaniam ἀνεψιοῦ scribendum esse, rectissume observavit Siebelisius vol. I, Explicatt. p. 207. Liberior quidam vocis ἀδελφός usus apud Pausaniam iterum invenitur 5, 11, 6 ubi Panaenum Phidiae 'fratrem' vocat Πάναινος μὲν δὴ οὗτος ἀδελφὸς ἦν Φειδίου, cum Strabone teste ἀδελφιδοῦς Phidiae fuerit, Strab VIII, p. 354 Πάναινος ὁ ζωγράφος, ἀδελφιδοῦς ὢν αὐτοῦ καὶ συνεργολάβος, conf. Siebelisium vol. II, Explicatt. p. 220. De Alectore et Hipponoo fratribus stemma quoque, quod Heynius ad Apollod. p. 1020 expressit, conferri potest, quamquam hoc interpolatam iam speciem ostendit.

Cum igitur in interpolatis fontibus Alector et Hipponous haud dubie fratres sint, admodum in proclivi erit conicere, etiam in vetustiore et nondum interpolato Proeti posterorum stemmate fraterno eos vinculo coniunctos fuisse. Iam cum constet in vetustiore anagrapha Hipponoi patrem, Capanei avom, fuisse Megapenthem, Schol. Pind. p. 494 init. Προίτου Μεγαπένθης, οὗ Ἱππόνους, οὗ Καπανεύς, de quo loco supra expositum est, non minus certo constabit, Alectoris quoque in vetustissimis fabulis et carminibus epicis patrem Megapenthem fuisse. Itaque altera haec Proetidarum stirps, e qua Iphis, Capaneo aequalis, prodiit, hunc in modum decurret: *Proetus, Megapenthes, Alector, Iphis, Eteoclus.* Hoc quoque stemma nunc egregie concinit cum Melampodidarum serie; respondet *Iphii Amphiaraus, Alectori Oïcles, Megapenthi Antiphates, Proeto Melampus.* Itaque haec quoque computatio Proetum Melampodi aequalem facit.

6. Heraclidarum stemmata longiuscula in Peloponnesum allata quomodo antiquas anagraphas onerarint, obruerint, diruperint.

Sed haec stemmatum antiquorum congruentia, quae apud Hesiodum et in Thebaide cyclica tam clare tamque eleganter contemplantium se oculis offert, postea perturbata est, cum stabilita paullatim Doriensium dominatione Heraclidae maiorum suorum nomina Argivis genealogiis immiscerent. Turbarum autem, quae exortae sunt, ea potissumum caussa fuit, quod proavorum, unde Hercules originem cepisset, series aliquanto plenior et auctior est, quam stemmata regum Argivorum, si modo in pernumerando ab eisdem primordiis proficiscare. Ac sane id ita ut faciamus ipsa rerum natura poscit; nam Heraclidarum semper stemmata antiquioribus in Peloponneso stirpibus insertae sunt. Fuit enim haec profecto in primariis Heraclidarum artibus ad populos qui armis subacti erant in obsequio retinendos, ut ipsi illis non peregrini viderentur, sed ut suarum originum prima stamina heroum in Peloponneso patriorum et domesticorum claris nominibus attexerent. Sed ex hac re, ut erat sane prudenter instituta, tamen fieri non potuit, quin grave incommodum nasceretur. Nam Heraclidae, ut diximus, longiusculis anagraphis delectabantur. His igitur in antiqua stemmata insertis iam series vicinae, quae olim pulcherrime accuratissumeque congruerant, hiulcae fiebant et discrepabant. Haec si reputes, facile profecto ad divinandum est, quid antiqui homines, nunquam ad fingendum tardi et timidi, antiquioribus istis anagraphis fecerint. Eadem earum sors fuit, quae hospitum boni Procrustae:

in lectum alligabantur, quaeque haud satis ampla et convenientia viderentur, torquendo et distrahendo porrigebantur. Hoc artificium quomodo adhiberi solitum sit, in Proeti posterorum stemmate optime demonstari poterit. Ipsius enim Herculis aetas in universum bello septem heroum adversus Thebas aequalis ponitur vel paullo etiam superior. Hoc cum aliis multis indiciis, tum inde planissume patet, quod Oïcles, Amphiarai pater, Herculis in Troia expugnanda socius est fidissimus et notissimus, conf. Diod. 4, 32, 3; Apollod. 2, 6, 4, 1. Hercules igitur ex hac computatione aequalis potissumum est Iphii, qui et Capanei est frater patruelis natu maior et pater Eteocli, qui bello septem ducum interfuit.

7. Hercules cum prosapia in Abantidarum stemma receptus subito Acrisium ad locum in stemmate longe eo, quem antea habuerat, celsiorem evexit.

Iam statim apparebit, quemadmodum Herculis splendidissima prosapia in antiquissumum Acrisii Abantis filii stemma recepta veterum Argivorum regum anagrapham nimia mole obruerit et diruperit. Recordabimur primum, Proetum Acrisii fratrem ab Iphie, itemque ab Capaneo sursum versus quartum fuisse; nam ita supra a nobis ratio reddita est; numerabamus *Iphin, Alectorem, Megapenthem, Proetum;* itemque *Capaneum, Hipponoum, Megapenthem, Proetum.* Iam si eadem plane ratione, ut ab Iphie et Capaneo, ab Hercule nunc pronepote ad proavom Herculis, qui quarto gradu a pronepote distat, adscensionem faciamus, quo perventuri sumus! Non ad eum, qui in eodem gradu atque Proetus sit. Herculis enim avos, Amphitruonis pater, Alcaeus est, cuius frequens memoria in antiquis carminibus est: Hesiod. Scut. 26 ἦρχε δὲ τοῖσιν ἐὺς παῖς Ἀλκαιοῖο, || κυδιόων λαοῖσι. conf. Apollod. 2, 4, 5, 1; Paus. 8, 14, 2. Iam Herculis proavos, Alcaei pater, quis tandem est? Num Acrisius est, Proeti frater, quem sane esse oportebat? Minume gentium! Immo Perseus est, Acrisii ex Danaa nepos. Duabus igitur aetatibus auctius est Herculis, quam Iphiis, quam Capanei, Herculis, ut vidimus, aequalium, stemma. Haec discrepantia ut non potuit non brevi animadverti, ita remedio aliquo vehementer indigere visa est. Heraclidae quod Perseum heroem splendidissimum generi suo et prosapiae praefixerunt minume profecto vitio illis verti poterit; nam nulla illorum in condendis novis civitatibus ars fuisset, si non heroes gentium subactarum illustrissimos proprios sibi et vere suos fecissent. Sed Perseus heros erat οὐκ ἀπὸ δρυὸς οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης. Ei quoque aliqui avos iam in antiquissimis carminibus fuit, ab ipso non separabilis; itaque una cum Perseo avos quoque *Acrisius* Heraclidarum prosapiae praefigendus, vel si melius dicendum sit, ille quoque accessionis loco simul suscipiendus erat.

8. Acrisio propter intrusam Herculis prosapiam in tam altum locum evecto ut par fieret Proetus frater, Proeti posterorum stemma in lectum Procrustae impositum est.

Sed hac sarcina suscepta quantopere antiqui illi symmetriae et harmoniae amatores circulos suos turbatos lugere debuerunt! Acrisius enim *Proeti* frater geminus erat. Hoc

fraternitatis eorum vinculum tam firmis in memoria hominum radicibus nitebatur, ut nullis inde machinis evelli posset. Notum sane est, hos fratres tanta inter se discordia, tantoque odio animatos fuisse, ut iam in matris utero rixarentur, ut dum bellis continuis alter alterum adgrediuntur, rem utilissimam et saluberrimam, clypeorum in bello usum primi omnium invenirent; Apollod. 2, 2, 1, 2 οὗτοι καὶ κατὰ γαστρὸς μὲν ἔτι ὄντες ἐστασίαζον πρὸς ἀλλήλους, ὡς δὲ ἀνετράφησαν, περὶ τῆς βασιλείας ἐπολέμουν, καὶ πολεμοῦντες εὗρον ἀσπίδας πρῶτοι. Sed his ipsis rebus, quae discordiae acerbissimae documenta erant, illud maxume comprobabatur, quod in stemmatum comparatione summarum difficultatum caussa esse debuit: erant illi fratres gemini, neuter a neutro solvendus. Sed hac ipsa re, quod Acrisii frater gemellus erat, miser ille Proetus tanquam alter quidam Mettius olim Fuffetius in diversas regiones distrahebatur. Nam idem ille Proetus Acrisii frater in stemmate posterorum ab ipso oriundorum locum longe inferiorem obtinebat. Proetus enim Iphiis et Capanei proavos quattuor tantum aetatibus a bello Adrasti contra Thebas distat; Proetus Acrisii frater ab eodem termino sex aetatibus. Prior ille Proetus nonnullorum e septem ducibus proavos est, posterior ille eorundem atavos. In rebus tam desperatis ad remedium quoque hominum desperantium confugiendum erat: ad famosum illum Procrustae lectum, quo saepe non sine aliqua, opinor, sua delectatione anagrapharum Graecarum fabricatores usi sunt. Nomina tot regum quot opus erat, prompto ingenio confinxerunt, ficta in lacunam intruserunt. Ratio igitur, qua Proetidarum stemmati tum succursum est, haec fuit, ut post Megapenthem duorum regum, *Argei* sive *Argi* (nam utraque forma occurrit) et *Anaxagorae*, nomina insererentur.

Iam igitur duo phantasmata prodeunt, duae illae umbrae regum, tantummodo ad locum vacuum explendum in lucem solis protractae, quibus stemma Proetidarum locupletatur. Collocatae autem sunt post Megapenthem. Atque honos etiam alteri saltem ex inanibus illis spectris habitus est. Nam Anaxagoras ille, Argei scilicet filius, pro Megapenthe pater factus est clarissimorum filiorum *Alectoris* et *Hipponoi*, quorum saepius iam nominandorum caussa nobis fuerunt eorum rursus filii fortissimi *Iphis* et *Capaneus*. Sed in ea re non substitit honor Anaxagorae habitus, immo longius processum est: nam cum olim stemmatis a Proeto deducti heroes Proetidae appellarentur, iam ei, qui post Anaxagoram sequebantur, Anaxagoridae dici coepti sunt. Non inutile fuerit testes adferre. Schol. Pind. Nem. IX, p. 494 init. γενέσθαι τὴν ὅλην βασιλείαν τριμερῆ, Μελαμποδίδας, Βιαντίδας, Προιτίδας. Contra noviciam rationem sequitur Pausanias 2, 18, 5 τὸ δὲ ἐγχώριον γένος οἱ Ἀναξαγορίδαι βασιλεύουσι πλέον. Plenum igitur et integrum posterorum Proeti stemma iam hoc est: *Proetus*, *Megapenthes*, *Argeus*, *Anaxagoras*, *Alector*, *Iphis*, *Eteoclos*; pro his tribus postremis in altera linea ponendi sunt *Hipponous*, *Capaneus*, *Sthenelus*. Confirmat hoc Scholiasta ad Eurip. Phoen. v. 181 Καπανεὺς Ἱππονόου τοῦ Ἀναξαγόρου τοῦ Ἀργείου τοῦ Μεγαπένθους τοῦ Προίτου τοῦ Ἄβαντος τοῦ Λυγκέως. Eiusdem stemmatis partem Pausanias habet 2, 18, 4 ἐπὶ γὰρ τῆς ἀρχῆς Ἀναξαγόρου τοῦ Ἄργου τοῦ Μεγαπένθους. conf. Diodorum 4, 68, 4, apud quem Argei seu Argi nomen deest: παρὰ τοῦ βασιλέως τῶν Ἀργείων τοῦ Ἀναξαγόρου τοῦ Μεγαπένθους.

9. Proetus in eundem atque Acrisius locum evectus ab Melampode, in antiquissimis fabulis fidissumo eius sodali et consorte, diremptus est. Quibus machinis miserandum vere in modum succursum sit.

Haec igitur duorum nominum adiectio in Acrisii sane et Proeti posterorum serie concentum et consensum aliquem effecit. Sed cum vix hoc fulcro labantes antiquorum stemmatum parietes refecti paullulum essent, ab altera parte nova strages imminebat. Nam hoc ipsum artificium, quod ad Proeti et Acrisii stemmata exaequanda utile fuit, in alia re recens volnus fecit. Quom enim Argeo et Anaxagora insertis Proetus in locum longe altiorem et celsiorem evectus esset (in sedem ab Adrasti bello sextam ex quarta), id necessario hunc effectum habuit, ut ab vicinis sibi in vetustiore sede heroibus divelleretur. Ac erat unus saltem cum quo in antiquissimis illis fabulis, quas in superioribus excussimus, quasi unam bigam effecerat: *Melampus*. Quis audito Proeti nomine non una Melampum cogitaret? Cui non dictae exauditaeve erant lymphaticae Melampodis saltationes, quibus insanientes Proeti filias e saltibus Sicyonem abduxisset? Itaque Proetus cum Melampode eadem atque cum Acrisio necessitudine coniunctus videbatur. Ego quovis pignore proposito contenderim, antiquos stemmatum fabricatores serio deliberasse, num eodem remedio, quo Proetus ad altiorem locum evectus esset, Melampodi quoque eius sodali succurri posset, inserendis nonnullis nominum heroicorum umbris. Sed unus Melampus ab huius remedii usu interclusus erat, ancipiti quodam, seu felici seu sinistro, honoris genere. Nam Melampodi stationem, quam obtinebat, quartam ab Adrasti bello aetatem, locus ille clarissumus in Odyssea o, 224—255 immortalem et sempiternam reddiderat. Itaque in sua ille sede Musarum vinculis, aureolis illis quidem, verum inexorabilibus, affixus erat.

Cum igitur ipse homo loco moveri non posset, fabulae forma mutata est. Quare iam thesaurorum illorum mythicorum custodes et dispensatores talem nunc fabulae de Proetidibus faciem procuderunt, in qua — triste dictu — Melampus a Proeto, sodali suo, solutus esset et uterque seorsum mulierum insanientium curationem efficeret. Itaque cum haec fabula olim una et integra fuisset, hac novicia narrandi ratione bifariam divisa est. Est antiquae fabulae imago, sed omnia in peius mutata. Anaxagorae tempore, — nam ita fere declamabant —, deorum provisu mulieribus Argivis insaniam incidisse, eum in modum ut in montibus vagarentur. Ad haec mala curanda ab rege Anaxagora — nam is nunc est τὰ πάντα — Melampodem accitum esse eo pacto composito, ut, si salvas illas fecisset, duas regni partes tertias acciperet. Huius narrandi formae Pausanias testis est 2, 18, 4 ἐπὶ γὰρ τῆς ἀρχῆς τῆς Ἀναξαγόρου τοῦ Ἄργου τοῦ Μεγαπένθους μανία ταῖς γυναιξὶν ἐνέπεσεν, ἐκφοιτῶσαι δὲ ἐκ τῶν οἰκιῶν ἐπλανῶντο ἀνὰ τὴν χώραν, ἐς ὃ Μελάμπους . . . ἔπαυσε σφᾶς τῆς νόσου, ἐφ᾽ ᾧ τε αὐτὸς καὶ ὁ ἀδελφὸς Βίας Ἀναξαγόρᾳ τὸ ἴσον ἕξουσιν. Similiter Diodorus 4, 68, 4 ἀντὶ δὲ ταύτης τῆς εὐεργεσίας χάριν ἔλαβε παρὰ τοῦ βασιλέως . . . Ἀναξαγόρου . . . τὰ δύο μέρη τῆς βασιλείας· κατοικήσας δὲ ἐν Ἄργει κοινὴν ἐποιήσατο τὴν βασιλείαν Βίαντι τῷ ἀδελφῷ. Novum est quod adicit Diodorus, Megapenthis filiam Iphianiram Melampodi nuptum datam esse: γήμας δὲ τὴν Ἰφιάνειραν τὴν Μεγαπένθους ἐτέκνωσεν Ἀντιφάτην καὶ Μαντώ (fortasse Μάντιον scribendum).

10. Pausaniam et Menaechmum cum Sicyoniam anagrapham intemeratam tradant, Argolicam anagrapham interpolatam exhibere. Inde ortum esse pravom Pausaniae de Melampodis aetate mythica iudicium.

Posteaquam igitur demonstratum a nobis est, quae fata et quas mutationes fabula de Proeto et Melampode subierit, porro nunc quaerendum erit, quam potissumum fabulae formam Pausanias secutus sit, ut deinde, num in hac quoque re cum Menaechmo ei conveniat, eruatur. Pausanias non antiquiorem formam, sed recentiorem, quae Heraclidis impulsoribus orta est, sequitur. In Sicyoniae descriptione 2, 5, 4 ad 2, 12, 2 ter ab eo Proetus memoratur, qui Sicyone filias suas sanas et a gravi morbo liberatas deorum beneficio receperit. In eis locis nullo verbo Melampus nominatur, immo solus semper Proetus procedit et negotia sua peragit. Curat autem praecipue fanorum nonnullorum dedicationes, primum Apollinis, Paus. 2, 7, 8 τὸν ναὸν τοῦ Ἀπόλλωνος] ὁ δὲ ναὸς ἔστι μὲν ἐν τῇ νῦν ἀγορᾷ, τὸ δὲ ἐξ ἀρχῆς λέγουσιν αὐτὸν ὑπὸ Προίτου ποιηθῆναι. De eadem aede Paus. 2, 9, 8. Deinde Iunonis quoque aedem prope portum Sicyoniorum Proetus dedicaverat, quoniam Iuno potissimum filiabus propitia reddenda erat, Paus. 2, 12, 2 καταβαίνουσιν ἐς θάλασσαν ἐν ἀριστερᾷ τῆς ὁδοῦ ναὸς Ἥρας, οὐκ ἔχων οὔτε ἄγαλμα οὔτε ὄροφον· τὸν δὲ ἀναθέντα Προῖτον εἶναι τὸν Ἄβαντός φασιν. Apud Pausaniam igitur Argivorum regum anagraphae mutatio hanc vim habuit, ut domesticas Sicyoniorum fabulas immutaret, nam Melampodem a Proeto segregavit. Hoc certe ab exegetis Sicyoniis non ita acceperat.

Iam quaeritur, quae Menaechmi de his rebus sententia fuerit; num veterem an noviciam regum Argivorum anagrapham probaverit, et quid de Melampodis et Proeti consortio iudicarit. Potest autem, si quid video, haec quaestio ad liquidum perduci. Habemus enim inter pauca sane illa Menaechmi Sicyonii fragmenta, quae optime collecta sunt a Carolo Mueller in Fragm. Script. de rebus Alexandri Magni in calce editionis Arriani, Paris 1877, p. 145, unum, quod praestantissumum est et in hac quaestione maxume fructuosum. Extat fragmentum apud Schol. ad Pind. Nem. IX, p. 493 extr., et editum est rectius nunc, quam olim apud Boeckhium, a Tychone Mommsen in Progr. Moenofrancfurtensi (1877) p. 9 diligenter inspectis codicibus Med. B et Vat. B. Narrat in hoc fragmento Menaechmus de rixa Melampodidarum et Biantidarum, quorum illis temporibus capita fuerunt Amphiaraus et Adrastus eiusque frater Pronax. Amphiaraus victoriam consecutus est potissumum sociorum quorundam opera. Hos socios Menaechmus vocat *Anaxagoridas*. Schol. Pind. p. 493 extr. Μέναιχμος ὁ Σικυώνιος οὕτω γράφει· . . Πρῶναξ μὲν ὁ Ταλαοῦ . . . βασιλεύων Ἀργείων ἀποθνήσκει καταστασιασθεὶς ὑπὸ Ἀμφιαράου καὶ τῶν Μελαμποδιδῶν καὶ τῶν Ἀναξαγοριδῶν. Muellerus quod addit: *Anaxagoridae aliunde vix noti*, credo ei desiderio cum Mommensi p. 10 docta adnotatione, tum eis, quae a nobis supra disputata sunt, satisfactum esse. Anaxagoridae qui ab Menaechmo nuncupantur Iphis et Capaneus sunt, eidem quos Pausanias 10, 10, 3 ʻposteros Proetiʼ significat οἱ ἀπόγονοι Προίτου Καπανεὺς Ἱππόνου καὶ Ἐτέοκλος ὁ Ἴφιος. Iam vero haec una vox *Anaxagoridarum* pro face nobis esse potest ad verum de Menaechmi super his rebus sententia inveniendum. Menaechmus, qui in anagrapha Sicyonia incorruptam vetustatem defendit, in Argivorum

regum anagrapha noviciis illis phantasmatis, in Heraclidarum fabrica procusis, umbris illis regum Argei et Anaxagorae se addixit. Itaque Menaechmus quoque torrenti illi, quo animi hominum ad vetera abolenda ferebantur, patienter se subiecit. Sed unum tamen est, in quo ceteris Menaechmus praestat: Sicyoniam anagrapham a pannis Clistheneis, ab Inachorum, Polyphidum, Pelasgorum (Syncellus p. 279, 280) turba puram et integram servavit, nec Adrastum antiquissimo et iustissimo honoris titulo, quo in ipsa Thebaide cyclica indutus erat, ut Polybi regis nepos diceretur, fraudavit.

11. Pausaniae in rebus tam subtilibus et a volgari notione remotis cum Menaechmo consensum documento esse, eum ipso Menaechmi opere usum esse.

Iam vero, quid ex eis quae disputavimus sequatur, considerandum est. Vidimus inter Pausaniam et Menaechmum de rebus quibusdam gravissimis mirificum consensum intercedere. Ambo in anagrapha Sicyonia tradenda incorruptam antiquitatem sequuntur, in Argolica anagrapha noviciam formam praeferunt. Sed unum praeterea gravissimum est. Pausanias in antiquis fabulis Sicyoniis ita nonnulla novavit, ut cum anagrapha Argolica consentirent: non temere est, quod Melampodem a Proeto seiunxit. Cum vero de anagrapha illa Argolica aliquot demum capitibus post (2, 18, 4) exposuerit, verisimile est, eum illud non iudicio suo fretum dixisse, nam si ita esset, lectorem ratiocinationis suae compotem fecisset, sed alienae auctoritati obsecutum. Deinde vero reputandum est, illud de anagrapharum diversa auctoritate iudicium, quod Menaechmus et Pausanias tulerunt, tam subtile et exquisitum esse, ut vix credibile sit, id in duorum scriptorum tot saeculis diiunctorum cerebro sua sponte tam simile natum esse. Quare eum qui posterior fuit, ab eo, qui prior scripserat, versuram fecisse credo. Suadet res ut fingamus, Pausaniam, cum ad Sicyonem visendam se accingeret, Menaechmi Σικυωνιακῶν opere legendo se ipsum edocuisse et ingenium ad ea, quae deinde spectaturus esset, acuere voluisse. Ita instructus tanto melius omnia ab exegetis percontari potuit. Eos vero Pausaniam diligenter consuluisse hoc documento apparet, quod in Sicyoniacis antiquitatibus ipse adnotat, bonos illos viros nesciendi etiam artem interdum probe intellexisse; Paus. 2, 9, 7 de ligno quodam contra luporum impetus salutari, quod ut miraculum in Apollinis Lycii templo adservabatur: τὸ ξύλον δὲ ἐκεῖνο ἔκειτο μὲν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Λυκίου, ὅ τι δὲ ἦν δένδρον, οὐδὲ οἱ τῶν Σικυωνίων ἐξηγηταὶ συνίεσαν.

12. Regum indicem in Clisthenis anagrapha non temere concinnatum esse, sed studia prodere in originibus Sicyoniis investigandis collocata.

In antiquae igitur regum Sicyoniorum anagraphae locum Clisthenes novam, multis locis funditus mutatam substituit, quae alteram illam paullatim prorsus extrusit. Nam etsi post Clisthenis mortem et omnino post Orthagoridas sublatos plurima Clisthenis instituta a Sicyoniis abolita sunt, cuius rei testis est Herodotus 5, 68, qui sexagesimo post

Clisthenis mortem anno phylas Sicyonias antiqua nomina recuperavisse narrat, tamen vetus anagrapha regum restituta non est, immo in occulto vitam ignobilem egisse videtur eum in modum, ut nota apud Sicyonios quidem esset, sed ultra terrae fines vix in cuiusquam notitia constantius haereret. Clisthenes duplex potissumum propositum in anagrapha mutanda secutus erat: primum (quod egregie perspexit O. Frickius in Fleckeis. Ann. vol. 107 (1873) p. 707 sqq.) Hippolyti et Lacestadae regum nomina, qui Agamemnonis se principatui parum honorifice subiecissent, e fastis regum sustulit: deinde Adrastum a Polybo, cuius in antiquis fastis proximus successor erat, ut nepos ex filia Lysimacha, Talao nupta (Schol. Pind. p. 493 extr.), duorum regum, Inachi et Phaesti, regnis, hoc est haud minus quinquaginta annis, diremit.

Postremorum igitur in ambabus anagraphis regum successio haec est. In antiqua, Menaechmi diligentia ad nos transmissa apud Paus. 2. 6, 6: *Polybus*, *Adrastus*, *Ianiscus*, *Phaestus*, *Zeuxippus*, *Hippolytus*, *Lacestadas*. In Clisthenea (cf. Euseb. vol. II. ed. Schoene p. 45—53 et Syncell. ed. Dind. p. 279 sq. et p. 287) *Polybus*, *Inachus*, *Phaestus*, *Adrastus*, *Polyphides*, *Pelasgus*, *Zeuxippus*. Clisthenes igitur Inachum et Phaestum inter Polybum et Adrastum interiecit. Ac primum quidem tot nomina inania a tyranno quasi ad lubidinem adiecta, stomachum movere possint. Quomodo enim homo sperare potuit, fore, ut commenticiae illae umbrae et regii cuiusdam cerebri potius insomnia et phantasmata, quam verae regum imagines fidem vel pueris facerent? Tamen accuratius re considerata, mitius, opinor, iudicabimus. Non sunt enim haec nomina, id quod videntur, de nihilo sumpta. Immo si iuste recteque eorum vis definienda sit, sunt illa potius studiorum eruditorum a Clisthene eiusque sodalibus in antiquitatibus Sicyoniis positorum flores et fructus, de quibus, si quid video, ipse certe Clisthenes minume tam contemptim iudicavit. Hoc in singulis nominibus paullo subtilius considerare operae pretium erit.

13. Num probabile sit, *Inachi* apud Eusebium nomen ex *Ianisci* in antiqua anagrapha nomine corruptela ortum esse. Nomina heroum tam in Boeotia, quam Sicyone domestica.

Primus igitur, qui post Polybum sequitur *Inachus* est. Hoc nomen a Clisthene in indice regum positum propterea mirificum videri possit, quod Inachi fluvii et herois nomen cum Argis coniunctissimum maxume contradicere videtur principali legi, quam in anagrapha sua componenda Clisthenes sibi scripserat: ut Argivorum Sicyoniis rebus se immiscentium memoriam ex annalibus Sicyoniis extingueret. Hac caussa permotus in *Inachi*, qui est apud Eusebium et Syncellum nomine *Ianisci* potius nomen latere olim putavi. Nam Ianiscus in antiqua iam anagrapha loco admodum vicino positus est; Phaestum praecedit, Adrastum sequitur. Paus. 2, 6, 6 Ἀδράστου ἐς Ἄργος κατελθόντος Ἰανίσκος ἀπόγονος Κλυτίου . . . ἐβασίλευσεν, ἀποθανόντος δὲ Ἰανίσκου Φαῖστος. cf. Prooemium schol. Bonn. hib. 1883/84 p. 21. Hanc coniecturam postea ab alio iam occupatam cognovi, a Vindingio, cuius memor est Siebelisius, edit. Paus. vol. I Explicatt. p. 179, qui *Vindingius* inquit *Eusebium, qui pro Ianisco Inachum, habet, correxit*. Sed haec coniectura, ut est speciosa,

tamen nunc repudianda videtur; nam etiamsi Inachus e medio tollatur, relinquuntur Polyphides et Pelasgus, qui vix aliunde, quam ex eruditis Clisthenis studiis explicari poterunt.

Iam igitur in ipsam Clisthenis officinam, docta scilicet illa supellectili instructam, penetrandum erit et investigandum, quid potissumum spectans Inachum vetustissumum heroem ab inferis excitarit et regem Sicyone post Polybum fieri iusserit. In hac quoque re explicanda, primum de coniectura quadam dicam, quam, etsi probabilius quid inveniri poterit, tamen, ne quid, quod ad rem pertineat, omissum videatur, proferendam censeo. Notum est, Clisthenem mirum in modum veterem Boeotiae memoriam in deliciis habuisse; adscivit inde Melanippum, Messapum, ut de aliis nunc sileam. Ad simile exemplum nos deducit Plutarchus, Quaest. Graec. 41. Oppidum est Boeotiae Eleon, haud longe a Tanagra situm, Il. β, 500 οἵ τ' Ἐλεῶν' εἶχον ἠδ' Ὕλην καὶ Πετεῶνα et Strab. IX, p. 405 extr. Νῖσαν] ἔστι δὲ τῆς τετρακωμίας τῆς περὶ Τάναγραν, Ἑλεῶνος Ἅρματος Μυκαλησσοῦ Φαρῶν. Prope hoc oppidum fluvius erat, qui olim Inachus vocabatur. Plutarchus fabulam enarrat, qua explicatur, cur Inachus nomen mutarit et a Scamandro, fluvii prope Troiam nepote, postea Scamander vocatus sit, Quaest. Gr. 41 Σκάμανδρος . . . τῆς χώρας ἐβασίλευσε· καὶ τὸν μὲν Ἴναχον ποταμὸν ἀπ' αὐτοῦ Σκάμανδρον, τὸ δὲ πλησίον ῥεῦμα Γλαυκίαν ἀπὸ τῆς μητρὸς ὠνόμασεν. Pertinet hoc quoque ad vestigia rerum Troianaram, quae in Boeotia occurrunt, conf. Paus. 9, 18, 5. Poterat igitur Clisthenes, ut erat veterum et reconditarum rerum studiosus idemque ad fingendum minume tardus, Inachum illum Sicyoniis fabulis intexere, eo potissumum consilio, ut Sicyonios quoque suum quendam Inachum habere ostenderet.

14. Audax Clisthenis inceptum, quo Sicyoniis haud minus, quam Argivis ad *Inachum* ut vetustissumum parentem adspirare licere docuit.

Sed est tamen alia quaedam explicandi ratio aliquanto probabilior. Clisthenes hoc potius studuisse videtur, ut antiquissumum illum regem Inachum, tot domuum regiarum parentem, statim ab initio non Argivorum tantum proprium, sed non minore iure Sicyoniorum quoque fuisse demonstraret. Itaque hanc, opinor, ratiocinationem instituit. Inachus ex Melia Oceani filia duos suscepit filios, Phoroneum et Aegialeum, Apollod. 2, 1, 2 Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος γίνεται παῖς Ἴναχος . . . τούτου καὶ Μελίας τῆς Ὠκεανοῦ Φορωνεύς τε καὶ Αἰγιαλεὺς παῖδες ἐγένοντο. Idem habet Tzetzes ad Lycophr. v. 177, p. 451 ed. Muell. Aegialeus, qui Aegialeam condidit, quod est vetustissimum urbis Sicyonis nomen, princeps est omnium Sicyoniorum regum. De vetustissimo urbis nomine testatur Paus. 2, 5, 6 Αἰγιαλεύς] καὶ Αἰγιάλειαν αὐτὸν οἰκίσαι πρῶτον ἐν τῷ πεδίῳ πόλιν. Strabo VIII, p. 382 extr. τὴν δὲ Σικυῶνα πρότερον Μηκώνην ἐκάλουν, ἔτι δὲ πρότερον Αἰγιαλεῖς. conf. Gompf, Sicyoniacorum specimen, Berol. 1832, p. 55. Aegialeum, Inachi filium, liberis orbum obiisse narrat Apollodorus 2, 1, 3 Αἰγιαλέως μὲν οὖν ἄπαιδος ἀποθανόντος ἡ χώρα ἅπασα (intellegit universam Peloponnesum) Αἰγιάλεια ἐκλήθη. Sed apud ipsos Sicyonios longe aliter res narrabatur; ibi Aegialeus filium Europem genuisse tradebatur; per eum deinde parens factus est reliquorum regum Sicyoniorum. Testatur rem Paus. 2, 5, 6 Αἰγιαλέως δὲ Εὔρωπα

γενέσθαι φασίν, Εὔρωπος δὲ Τελχῖνα, Τελχῖνος δὲ Ἄπιν. Clemens Alexandr. Strom. I, § 102 (vol. II, p. 72 ed. Klotz) καὶ ἡ ἐν Σικυῶνι βασιλεία πρώτου μὲν Αἰγιαλέως, εἶτα Εὔρωπος, εἶτα Τελχῖνος. conf. Euseb. vol. I, p. 173 ed. Sch. et Syncell. p. 181. In antiqua anagrapha Sicyonia, quae ante Clisthenem valuit, Aegialeus autochthon dicebatur, non Inachi filius; Paus. 2, 5. 6 λέγουσιν ὡς Αἰγιαλεὺς αὐτόχθων πρῶτος ἐν αὐτῇ (τῇ χώρᾳ) γένοιτο. Clisthenes igitur in hac re a vetusta fama deflexit, ut Sicyoniis quoque eodem iure Inachum, Aegialei patrem, vindicaret, quo Argivi suum illum esse, ut patrem Phoronei, gloriabantur.

15. *Inachus* in numero est amnium subterraneorum; itaque Argis non natus est, sed advena ex Epiro. Sophoclis super hac re testimonium pulcherrimum.

Accedit quod ne Argis quidem tam patrius est Inachus, ut non Argos quoque e peregrina et longe remota patria advenerit. Nota est et admodum celebris fabula, Inachum sse in numero fluviorum magna ex parte cursus sui subterraneorum, qui in alia terra nascantur, in alia plane remota ostia sua habeant. Eorum fluviorum permulti apud Graecos recensebantur, quorum indicem composuit Strabo VI, 271, itemque Paus. 2, 5, 3. conf. Gompf, Sicyon. spec. p. 33 et 79. Itaque cum in Epiro quoque Inachus sit fluvius e Lacmo monte prosiliens, qui in Acheloum influit, finxerunt illi fabularum fabricatores, eundem eum esse atque Inachum Argivom; Epiroticum amnem in Acheloo non interire, sed cursu subterraneo in Peloponnesum procedere ibique prope Lyrceam in Argolidis confiniis in lucem rursus emergere, deinde sub Inachi nomine in mare effundi. Huius fabulae nobis quidem testis nunc est non scriptor unus aliquis de plebe, sed summus poeta, qui rem non temere finxit, sed fabula antiquitus tradita usus est, Sophocles in luculentissimo *Inachi*, quod drama satyricum fuit, fragmento apud Strabonem. Ibi superior Inachi in Epiro cursus sic describitur Str. VI, p. 271 ῥεῖ γὰρ ἀπ' ἄκρας || Πίνδου (φησὶν ὁ Σοφοκλῆς) Λάκμου τ' ἀπὸ Περραιβῶν || εἰς Ἀμφιλόχους καὶ Ἀκαρνᾶνας, || μίσγει δ' ὕδασιν τοῖς Ἀχελώου. De cursu inferiore haec habet: ἔνθεν ἐς Ἄργος διὰ κῦμα τεμὼν || ἥκει δῆμον τὸν Λυρκείου.

De huius fabulae argumento ingeniose exposuit Welcker, Nachtrag zur Schrift üb. Aeschyleische Tril. Francof. 1826, p. 306. Inachum Sophocles ut fluvium undis tumentem, simul ut regem late dominantem descripserat, quod apparet e pulchro apud Dionys. Hal. fragmento 1, 25 Σοφοκλεῖ δ' ἐν Ἰνάχῳ δράματι ἀνάπαιστον ὑπὸ τοῦ χοροῦ λεγόμενον πεποίηται ὧδε· Ἴναχε νᾶτορ, παῖ τοῦ κρηνῶν || πατρὸς Ὠκεανοῦ, μέγα πρεσβεύων || Ἄργους τε γύαις Ἥρας τε πάγοις || καὶ Τυρσηνοῖσι Πελασγοῖς. Ubi νᾶτορ ex Urbinatis codicis scriptura restituit Meinekius, usus ille Hesychii glossa ναέτωρ· ῥέων, πολύρρους, apud Kiesslingium Praef. ad Dion. I, p. XIII. Volgo minus recte γεννᾶτορ. Sophocles igitur finxisse videtur, Inachum amnis celeberrimi deum peregre ex Epiro via subterranea, quam ipse sibi fodisset, Argos advectum ibique regem factum esse Pelasgorum Argivorum. Eandem rationem in anagraphae suae fundamentis iaciendis Clisthenes quoque inierat. Aegialeus, urbis Sicyonis conditor et vetustissimus Aegialae terrae (Euseb. vol. I, p. 173 ed. Sch.) rex, Inachi filius est. Inachum igitur non minore iure sibi vindicant et ut principum suorum parentem venerantur Sicyonii, quam Argivi. Haec igitur et talia animo suo versans et

volutans Clisthenes, ut veteris Inachi nomen posteritatis memoriae mandaret, iuniorem quendam Inachum post Polybum in anagrapha collocavit. Attribuit huic Inacho annos 42 secundum Eusebium vol. II ed. Sch. p. 46 et 47, vel si Syncello p. 279 adstipulemur annos 45.

16. *Pelasgus* et *Polyphides* in anagrapha quid sibi velint. Quomodo fieri possit, ut Polyphidis nil nisi nomen in anagrapha positum stomachum iam Argivis movere debuerit.

Ex eisdem originum et primordiorum Sicyoniorum studiis, quibus Clisthenes et amici eius, sacerdotes Carnei, tam exquisitam curam impenderunt, prodiit haud dubie alterius quoque regis commenticii nomen, quod remotissimam antiquitatem redolet, *Pelasgi*. Hunc Pelasgum Clisthenes in regum serie paenultimum, h. e. vicesimum quintum, fecit, ante Zeuxippum proxumum. Annos ei adsignavit 20, conf. Euseb. l. s. p. 54 sq. Sync. p. 280. Hoc nomine posito Clisthenes antiquorum, qui primordio rerum Sicyoniam quoque coluissent, Pelasgorum memoriam renovare studuit. Sicyone enim multa cascorum temporum monumenta et reliquiae visebantur, quae ad Pelasgorum artem, cultum, religiones referri poterant. Pausanias duo simulacra commemorat, alterum Iovis Milichii, alterum Dianae Patroae, quae nulla arte facta, nullis oris lineamentis expressis, formam tantum pyramidis et columnae habuerint; Paus. 2, 9, 6 μετὰ δὲ τὸ Ἀράτου ἡρῷον . . . ἔστι . . . Ζεὺς Μειλίχιος καὶ Ἄρτεμις ὀνομαζομένη Πατρῴα, σὺν τέχνῃ πεποιημένα οὐδεμιᾷ· πυραμίδι δὲ ὁ Μειλίχιος, ἡ δὲ κίονί ἐστιν εἰκασμένη. conf. Gompf, Sicyon. spec. p. 80 not. 137 et C. F. Hermann, Gottesdienstl. Alt.[2] § 18, 12. Deinde hoc quoque commemorandum est, in antiquis fabulis Asopi, dei fluvialis et regis apud Phliasios, filium fuisse Pelasgum, qua de re testatur Diodor. 4, 72, 1 Ἀσωπὸς δὲ ἐν Φλιοῦντι κατοικήσας ἔγημε Μετώπην τὴν Λάδωνος, ἐξ ἧς ἐγένοντο δύο μὲν υἱοί, Πελασγὸς καὶ Ἰσμηνός. His omnibus reputatis Pelasgus eodem modo, ut Inachus in anagrapha Sicyonia, subnatus videtur e studiis in originibus Sicyoniis a Clisthene collacatis.

Praeter has Inachi et Pelasgi umbras, quas in sua fabrica fictas regum indici inseruit Clisthenes, tertium etiam est nomen *Polyphidis* regis, quod ipsum quoque in antiqua anagrapha non invenitur, sed eo consilio a Clisthene interpositum est, ut Hippolytum et Lacestadam loco moveret. Huius quoque nominis ratio reddi poterit. Caussa, qua permotus Polyphidem Clisthenes intrusit, eadem est, qua impulsus plurima in republica novavit, insigne erga Argivos odium. Polyphides enim fuit antiqui regis Argivi Mantii e gente Melampodidarum filius, qui propter grave cum patre suo discidium e patria discessit, et Hyperesiam se contulit, cui oppido Aegirae postea nomen fuit, quodque haut procul a Sicyone abest. Luculentissumum et locupletissumum de Polyphide testem habemus Homerum Od. o, 249—255. Narrat Homerus, Mantium Melampodis filium e muliere Argiva — Iphianassam, Proeti filiam intellegit — prognatum duos rursus filios genuisse: Polyphidem et Clitum. Alterum, Clitum, Auroram rapuisse; alterum, Polyphidem, post Amphiarai immaturam mortem ab Apolline optimum omnium mortalium vatem constitutum esse. Od. o, 252 αὐτὰρ ὑπέρθυμον Πολυφείδεα μάντιν Ἀπόλλων || θῆκε βροτῶν ὄχ' ἄριστον, ἐπεὶ

θάνεν Ἀμφιάραος. Sed Polyphidem Mantio patri iratum e patria Hyperesiam emigrasse, vers. 254 ὅς ῥ' Ὑπερησίηνδ' ἀπενάσσατο πατρὶ χολωθείς, || ἔνθ' ὅ γε ναιετάων μαντεύετο πᾶσι βροτοῖσιν. Hyperesia urbs postea Aegira vocata est.

17. Fabula de Polyphidis discessu ad Hyperesienses egregie favit Clisthenis consiliis. Eruditorum coniectura, pro ignoto Polyphide nobilissimum Polyidum substituendum esse, speciosior est quam verior.

Caussam mutati nominis Pausanias 7, 16, 2—4 narrata pulchra fabella exponit. In Hyperesiensium fines Sicyonii forte armatam incursionem necopinato fecerant. Hyperesienses, qui ad eam rem imparati essent, nec copiarum viribus se satis pares sentirent, ad facetum satis strategema confugerunt. Caprarum, quarum in saltibus suis magnam vim habebant, amplum gregem in monte constituerunt. Tum, noctis tenebris obortis, in earum cornua ardentes faces adligaverunt, quibus adventantis iamiam per noctem sociorum exercitus species excitata est. Sicyonii inexpectato illo auxilio scilicet conterriti castra e finibus Hyperesiensium moverunt et infecta re domum redierunt. Hyperesienses propter hoc caprarum meritum in eius strategematis memoriam urbi suae novom a capris nomen indiderunt eamque Aegiram vocarunt. Dianae Agroterae, cuius ope consilium in mentem sibi venisse opinabantur, aedem eo loco aedificarunt, in quo caprarum pulcherrima, quae toti gregi princeps praegrediebatur, primum procubuisset; Paus. 7, 26, 3 Ὑπερησιεῖς δὲ τῇ τε πόλει τὸ ὄνομα τὸ νῦν μετέθεντο ἀπὸ τῶν αἰγῶν καὶ καθότι αὐτῶν ἡ καλλίστη καὶ ἡγουμένη τῶν ἄλλων ὤκλασεν, Ἀρτέμιδος Ἀγροτέρας ἐποιήσαντο ἱερόν. In hanc igitur urbem Polyphidem propter iniurias a patre Mantio sibi factas migrasse Homerus narrat.

Leutschius, Thebaid. cycl. fr. p. 48, praeeunte Welckero, Aeschyleische Tril. p. 211, nomen "*Polyphides*" in suspicionem vocavit, quod hoc nomen homini vaticinandi artis peritissumo non conveniat; *vati*, inquit Leutschius, *plane ineptum est nomen* Πολυφείδης. Eustathius de accentu disserens ita explicat p. 1967, 20 πολυφειδὴς μὲν ἐπιθετικῶς ὁ πολλὰ φειδόμενος, Πολυφείδης δὲ κύριον. Iam vero in Melampodidarum prosapia clarissimus vates nomine *Polyidus* occurrit, Coerani filius, cuius nomen, si quod unquam, vati conveniens est. Polyidus Coerani filius vates est in Adrasti exercitu contra Thebas post Amphiaraum nobilissumus, Athenaeus XI, 1, p. 459; Corinthi domicilium habet, Pind. Ol. XIII, 75; Iliad. v. 663 sqq. Suadet igitur Leutschius, ut in illo Odysseae loco ο, 249—255 pro Polyphide, qui traditus est, restituatur Polyidus. *Etenim*, inquit, *restituendus est in Odyss. l. c.* Πολύειδος, . . . *quod evincunt v. 253. 254.* Quod autem aliis ibi maioribus Polyphides ortus dicatur, quam Polyido Coeranidae plerumque tribuantur, hoc non magni momenti esse, quoniam stemmata saepe progressu temporum mutata sint. Sed haec Welckeri et Leutschii, virorum eximiorum, coniectura speciosior est, quam verior. Nam ut nunc mittam coniecturam a Leutschio de stemmatis commutatis propositam, quae ipsa iam audacior videtur, quam quae admitti possit, nominis Polyidi forma obstat. Polyphidis nomen bis in casu obliquo Πολυφείδεα Odysseae illo loco positum est. Iam si formam

Πολύιδον, quae occurrit Il. ε, 148 et ν, 666, substituas, hoc longius a tradita in Odysseae loco forma recedit, quam ut placere possit; sin Πολυείδεα substituendum censeas, obstat quod Πολυείδης nomen proprium "Multiformem" potius, quam "Multiscium" significat; qua de re accuratissume exposuit Lobeckius in Aglaophamo p. 266 not. k. Quamobrem Polyphides, Mantii filius, Theoclymeni pater in Odysseae loco (ο, 249—255) sollicitandus non est.

18. Tria nomina regum *Inachi*, *Pelasgi*, *Polyphidis* documento sunt et eruditae operae, quam antiquitatibus Sicyoniis Clisthenes navavit, et acerrimi studii, quo Sicyonios Argivorum nodis et laqueis exolvere conatus est.

Iam vero his ita stabilitis ad Clisthenis Polyphidem redeundum est. Posuit in anagrapha sua Polyphidem (cuius nomen λαοσσόον significat, ut cum Homero Od. ο, 244 loquamur, qui ita Amphiaraum appellat: λαοσσόον Ἀμφιάραον) Clisthenes post Adrastum et ante Pelasgum, in toto regum indice ut vicesimum quartum. Attribuit ei annos regni 31; Eus. Chron. vol. I, p. 176 εἰκοστὸς τέταρτος Πολυφείδης λα', conf. Eus. vol. II, p. 50. 51 et Sync. p. 280. Iam si quis quaerat, cur Polyphidem illum, qui patris odio commotus ab Argis patria desciverat, in regum Sicyoniorum indicem Clisthenes receperit, respondendum est, eum id ita fecisse, ut stomachum et bilem Argivis eorumque Sicyone amicis moveret et ut eos, quos immane quantum odisset, cum contemptu conculcaret. Erat enim tale hominis ingenium, ut quantum viribus posset, adversariis aegre faceret. Narrat quidem Homerus, Polyphidem Hyperesiam commigrasse, quae Aegira postea vocata est; sed sine magno negotio Clisthenos hoc efficere potuit, ut Sicyoniis quoque fabulis Polyphides immisceretur. Fieri possit, ut qui contempletur, quae de *Inacho*, *Pelasgo*, *Polyphide* disputavimus, nimium in minutiis scrutandis nos curiosos fuisse criminetur. Nihilominus operae pretium fuisse haec investigari crediderim. Apparuit enim inde, qua constantia, quibus machinis, quibus etiam doctrinae et eruditae supellectilis subsidiis instructus Clisthenes hoc vitae suae propositum persecutus sit, ut ex legitimi regni possessione Adrastum deturbaret. Atque in talibus viris, qualis fuit Clisthenes Orthagorida, non tantum negotiorum et rerum publice gestarum, sed privati etiam otii ratio constare debet.

19. Pindarus quomodo Adrastum ex factionum turbis et strepitu in altiorem stationem extulerit. In heroibus a summa virtute culpae notio inseparabilis.

His omnibus, quae a nobis exposita sunt, suppletur Herodoti 5, 67 narratio, qua quomodo Clisthenes Adrasti apud Sicyonios auctoritatem et memoriam infringere et obscurare studuerit, tradidit. Nihil profecto Clisthenes intermisit, ut ex legitima post Polybum sede Adrastum extruderet et ut famam illam veterem, qua Adrastus Polybi ex filia nepos (Herod. 5, 67 ἦν Πολύβου θυγατριδέος), vel una etiam gener (Sch. Pind. p. 494 init. Ἄδραστον γῆμαι τὴν Πολύβου θυγατέρα) dicebatur, prorsus refelleret. Post Orthagoridarum regnum

finitum Dorienses certe pro viribus curarunt, ut Adrasto antiquus honor restitueretur. Pindarus haud dubie utriusque factionis, nam Clisthenes quoque suae caussae multos patronos reliquerat, studia probe noverat. Quare cum anni 472 a. Chr. n. aestate (nam id esse tempus carminis Nemei IX, demonstravit Leutschius in Philologi vol. 14 p. 57; conf. nos in Prooem. Bonnensi schol. hib. 1883/84 p. 14) Pindarus a Chromio rogatus carmen epinicium in victoriam partam in Pythiis Sicyoniis pangeret, facere omnino non potuit, quin in Adrasto ludorum eorum conditore celebrando controversiam illam tangeret. Ab utra parte standum sibi esset, ne punctum quidem temporis dubitavit; toto pectore Doribus favebat. Verum non eadem ratione, qua Doriensium Sicyoniorum iure consulti Adrasti regnum legitimum et iuris praesidia defensum ierant, poeta sibi procedendum opinabatur. Quae totiens dicta et disceptata fuerant, ad taedium iterare noluit, ταὐτὰ δὲ inquit Nem. VII, 104 τρὶς τετράκι τ' ἀμπολεῖν || ἀπορία τελέθει, τέκνοισιν ἅτε μαψυλάκας Διὸς Κόρινθος. Itaque Pindarus Adrastum ex illo contentionum et mutui partium clamoris strepitu in altiorem quasi stationem et speculam sustulit et talem eius herois imaginem adumbravit, quae aeterna quadam pulchritudine circumfusa esset.

Heroum in poesi haec natura et vis est, ut non tam singulorum hominum in eis fata et mores conspiciantur et illustrentur, quam ut omnino humani generis et naturae humanae certa quaedam studia, vi singulari erumpentia, corpus et formam induant, ut quae maxume humana sint, in illis mirum quantum aucta et ad summum quendam gradum exculta adpareant. Cohaeret autem cum hac quidem heroum specie, qua humana humanitus, sed robore quodam humanos fines excedente peragunt, ut plerumque eorum *eximia virtus cum culpa aliqua* coniuncta sit. Nam hoc fere in poesi heroum proprium est, ut virtutes eorum modum egrediantur. Culpae notio ab heroum moribus, quoniam nihil humani a culpa prorsus vacuum est, plane inseparabilis est. Neque vero hac culpae macula minus venerabilis redditur imago heroum. Immo ea, quae illi patiuntur, quibus illam culpae caecitatem luunt, humani generis vicem patiuntur: τὰ παθήματα μαθήματα. Haec non ipsis tantum, qui plectuntur, sed universo generi humano, fructui sunt. Ab his principiis orsus Pindarus Adrasti imaginem in carmine Nem. IX pinxit. Adrastus et Amphiaraus uterque alteri opponuntur. Ac primum quidem Adrasti ingenium tale est, ut ad *strictum ius* omnia revocet, ut ne unguem quidem latum ab summa aequitate et iustitia discedat; sed cum hac eius virtute hoc vitium coniunctum est, quod sibi nimium confidit, quodque, quoniam normam recti et pravi suo unius iudico constare opinatur, deorum immortalium monita et ostenta parum curat vel nihili aestimat. Tale ingenium Adrasti in veteribus iam carminibus epicis, atque in ipsa iam Thebaide, descriptum, opinor, fuerat; Pindarus tradita antiquitus huius imaginis lineamenta accuratius expressit et expolivit.

20. Bellum Amphiarai cum Biantidis a Pindaro Nem. IX, 13 narratum quomodo ortum sit. Oïcles a Talao regno pulsus ad Arcades se recipit.

Quaecunque de Adrasto traduntur, cuncta hanc morum eius imaginem confirmant. Adrastus cum ex patria Argis exul apud Polybum avom Sicyone commoraretur, a Sicyo-

niis, cum Polybus laxius paullo imperii frena teneret, promptum obsequium poposcit et in seditiosos severius animadvertit; edocemur de hac re apud Schol. Iliad. β, 572, qui ex Thebaide fortasse hausit: ἐκπεσὼν γὰρ Ἄργους (ὁ Ἄδραστος) παρὰ Πολύβῳ τῷ μητροπάτορι ᾤκει καὶ ὑπέταξεν αὐτοὺς οὐκ εἰωθότας ἄρχεσθαι. Ad Adrasti et Amphiarai ingenia, qualia in poesi antiqua epica descripta erant, recte aestimanda, magni momenti esset, si caussam accuratius cognoscere liceret eius belli, quod inter Biantidas et Melampodidas exarsit, quoque Adrastus e patria excedere coactus est. Pindarus rem, ut notam auditoribus, haud enucleatius exposuit; Adrastum discordiarum civilium turbis eiectum dicit, Nem. IX v. 13 φεῦγε γὰρ Ἀμφιάρηόν τε θρασυμήδεα καὶ δεινὰν στάσιν || πατρῴων οἴκων ἀπό τ' Ἄργεος· ἀρχοὶ δ' οὐκ ἔτ' ἔσαν Ταλαοῦ παῖδες, βιασθέντες λύᾳ. Sed haud improbabili fortasse, coniectura unde illud bellum exarserit, definiri potest; sunt vestigia quaedam, quae quid in antiquissimis carminibus epicis narratum fuerit, edocere possint. De Amphiarai patre Oïcle volgaris sane fama haec est, eum in Herculis comitatu adversus Laomedontem, Troiae regem, egressum in proelio a Laomedonte occisum esse; conf. Diod. 4, 32, 3; Apollod. 2, 6, 4, 1. Sed in antiquissima poesi Oïclis fata diversa plane ratione narrabantur. Novimus enim prope Megalopolin heroum Oïclis fuisse, cum accolarum haud dubie cultu, ibique hanc fabulam domesticam et patriam viguisse, in eis locis Oïclem, Amphiarai patrem, aetatis suae vesperam degisse. Pausanias fabulam refert, cassans ille quidem caput, sed clara voce refert tamen 8, 36, 6 ἑξῆς δὲ Ὀϊκλέους τοῦ Ἀμφιαράου πατρὸς μνῆμά ἐστιν, εἴ γε δὴ ἐπέλαβεν αὐτὸν τὸ χρεὼν ἐν Ἀρκαδίᾳ καὶ μὴ τῆς ἐπὶ Λαομέδοντα Ἡρακλεῖ στρατείας μετασχόντα. Alcmaeo, Amphiarai filius, post matris Eryphylae caedem a Furiis agitatus primum ad avom Oïclem, etiamtunc superstitem in illis Arcadiae locis, se contulit, eo, ut recte opinatus est Welckerus, consilio, ut ab benevolentissumo sibi homine expiaretur. Apollod. 3, 7, 5, 2 Ἀλκμαίωνα δὲ μετῆλθεν ἐρινὺς τοῦ μητρῴου φόνου, καὶ μεμηνὼς πρῶτον μὲν εἰς Ἀρκαδίαν πρὸς Ὀϊκλέα παραγίνεται, ἐκεῖθεν δὲ εἰς Ψωφῖδα πρὸς Φηγέα. conf. Welck., Griech. Tragoed. II p. 576 med., qui rectissime arbitratur, hanc fabulae formam antiquissimam fuisse.

Iam cum haec Oïclis per extremos vitae annos apud Arcades commoratio satis mirifica sit, quaeri debet, quae eum caussa e patria Argis ut exulem expulerit. Responsum, nisi omnia fallunt, ex eis peti potest, quae de Amphiarai cum Talao eiusque filiis bello tradita accepimus. Amphiaraus sine dubio bello illo, quod adversus Talaum et filios eius molitus est, gravem iniuriam patri Oïcli et sibi illatam ultus est. Quare hunc in modum rerum gestarum ordo et cursus fingi poterit. Oïcles Hercule duce adversus Troiam profectus in ea expeditione secundum recentiorem fabulae formam, quae in omnium ore est (cf. Diod. 4, 32, 3; Apollod. 2, 6, 4, 1), a Laomedonte occiditur. In antiquiore narrandi forma salvos et integer in patriam rediit. Sed Talaus, Biantis filius, qui patris Oïclis Antiphatae frater fuit patruelis, diuturna illa Oïclis absentia usus erat ad regnum eius occupandum. Accedebat, quod Amphiaraus illo tempore puerulus etiamtunc erat, qui praepotentem adversarium repellere non posset. Oïcles igitur, ex regno suo, tertia Argolidis parte, exclusus, exul in Arcadiam, in ea loca, ubi multis saeculis post Megalopolis condita est, se recepit, ibique etiam postea, cum ei redire liceret, usque ad extremam aetatem mansit; sepulcrum certe Oïclis ibi ostendebatur.

21. Amphiaraus iniuriarum patri Oïcli inlatarum ultor.

Sed Amphiaraus cum adolevisset, primum hoc sibi adcurandum existimavit, ne insignis illa et atrox iniuria, quam et pater eius et ipse ab homine propinquo accepissent, impunis illi esset. Amphiaraus igitur, sociis adsumptis Anaxagoridis, Iphie et Capaneo, bellum Talao eiusque filiis, Pronacti et Adrasto, intulit. In eo bello iustior caussa victrix fuit: Talaus ipse et Pronax aut in proelio occisi sunt aut regni nunc ipsis erepti dolore perierunt. Sch. Pind. Nem. IX, p. 494 init. διαφορὰ δὲ ἐγενήθη τοῖς περὶ Ἀμφιάραον καὶ Ἄδραστον, ὥστε τὸν μὲν Ταλαὸν ὑπὸ Ἀμφιαράου ἀποθανεῖν, τὸν δὲ Ἄδραστον φυγεῖν εἰς Σικυῶνα, et Sch. Pind. p. 493 extr. ex Menaechmo, qui hoc quoque addiderat, satis diu Talao et filio Pronacti contigisse, ut praeda sua fruerentur, propter teneram etiamtunc Amphiarai aetatem: Χρόνου προελθόντος πολλοῦ Πρῶναξ μὲν ὁ Ταλαοῦ . . . βασιλεύων Ἀργείων ἀποθνήσκει καταστασιασθεὶς ὑπὸ Ἀμφιαράου . . . καὶ τῶν Ἀναξαγοριδῶν. conf. potissumum Ty. Mommsen, Parerga Pind. in Progr. Moenofrancfurt. 1877 p. 9.

His, quae exposuimus, consideratis iam fortasse succincta et ponderosa Pindaricorum verborum brevitas recte aestimabitur, qua discordias principum Argivorum descripsit, Nem. IX, 14: ἀρχοὶ δ' οὐκ ἔτ' ἔσαν Ταλαοῦ παῖδες, βιασθέντες λύᾳ. De vocabulo λύα Hesychius λύα· στάσις, deinde λυάζει· . . . στασιάζει. Adrasti igitur hoc fatum fuit, ut pro iniuria a patre Talao et fratre Pronacte admissa admodum immerito poenas lueret. Cum vero iniuriarum auctores mortem obissent, facile perfici potuit, ut pax inter Melampodidas et Biantidas, proxima sanguinis cognatione coniunctos, reconciliaretur: accedebat quod et Adrastus et Amphiaraus eo ingenio erant, ut antiquam simultatem lubenter et haud gravate obliviscerentur, Pind. Nem. IX, 15 Κρέσσων δὲ καππαύει δίκαν τὰν πρόσθεν ἀνήρ.

22. Adrasti et Amphiarai imagine proposita duo ingeniorum humanorum genera inter se contenduntur. Alteri summa vitae norma strictum ius est; alteri continuum cum deis per oracula commercium.

Pindarus igitur in carmine Nemeo IX *Adrastum* et *Amphiaraum* alterum cum altero contendit; duorum heroum et multis rebus similium et maxume rursus diversorum ingenia ita depinxit, ut utriusque cum altero comparatio venustissima efficiatur. Ambo iustitiae amantissimi sunt, sed diversa plane ratione. *Adrastus* quae iusta vel secus sint, suo iudicio fretus diiudicat; suo igitur arbitrio confidens generum Polynicem in regnum reducit. *Amphiaraus*, quae iusta iniustave sint, non hominum mentes et oculos, saepe terrestribus tenebris occaecatos, discernere posse censet, sed semper deorum immortalium monita et ostenta super his rebus audienda iudicat. Adrasto strictum ius summa est vitae norma et dominatrix; Amphiaraus omnia deorum nutui committit; humanorum inceptorum studiorumque summam normam esse debere, non illam, quam homunculorum ipsorum sibi cerebrum finxerit, agendi regulam, sed obsequium officiosissimum promptissimumque, quo oracula et signa deorum veneremur. Amphiarai igitur ingenium dis acceptissimum est,

et in ipso Amphiarai interitu, quantopere Iuppiter eum dilexerit, apparuit. Pulcre de Amphiarao vates Homericus loquitur Odyss. o, 244 λαοσσόον Ἀμφιάραον, || ὃν περὶ κῆρι φίλει Ζεύς τ' αἰγίοχος καὶ Ἀπόλλων || παντοίην φιλότητ'· οὐδ' ἵκετο γήραος οὐδόν, || ἀλλ' ὄλετ' ἐν Θήβησι γυναίων εἵνεκα δώρων. Iuppiter quam amice in extremo discrimine Amphiaraum tutatus sit, Pindarus enarrat Nem. IX, 24 ὁ δ' Ἀμφιάρῃ σχίσσεν κεραυνῷ παμβίᾳ || Ζεὺς τὰν βαθύστερνον χθόνα, κρύψεν δ' ἅμ' ἵπποις, || δουρὶ Περικλυμένου πρὶν νῶτα τυπέντα μαχατὰν || θυμὸν αἰσχυνθῆμεν.

23. Pindarus cur haec Chromio cecinerit.

Iam igitur facile dictu est, carminis Nem. IX summa sententia quibus potissumum rebus contineatur: duorum splendidissimorum heroum, Adrasti et Amphiarai, exemplis propositis duo ingeniorum humanorum genera inter se comparantur et utrum praestantius sit, leni nutu a Pindaro significatur. Quaerat quispiam, cur haec apud Chromium Pindarus contionetur. Respondeo: ecce habemus unam aliquam earum quaestionum, de quibus Pindarum, qua erat ingenii et sublimitate et elegantia, cum amicis confabulari solitum esse verisimile est. Talia vel inter pocula praesente Pindaro apud Chromium disceptabantur. Cum igitur sermo motus esset de vera virtutis et iustitiae humanae natura et ratione, cumque alii Adrasteam, alii Amphiaraeam virtutis expetendae regulam defensum iissent, Pindarus huius carminis occasione oblata usus, quam ipse de summo vitae proposito speciem animo concepisset, Chromio et amicis indicare voluit.

Verum ab hisce praeludiis, quae abdita studiorum nostrorum nemora et saltus nobis insusurrarunt, nunc ad augustiores sublimioresque nos harmonias convertamus, quae omnium ubique Germanorum a mari Baltico ad iuga alpium corda dulci concentu pulsant et sincerissimo gaudio perfundunt. Etenim anno volvente dies recurrit faustissimus et auspicatissimus totique patriae nostrae unice carus, quo die DOMINVS NOSTER CLEMENTISSIMVS ET GLORIOSISSIMVS REX BORVSSIAE GERMANORVM IMPERATOR GVILELMVS lucem adspexit. Indicenda igitur sunt sollemnia ab universitate nostra rite concelebranda, in quibus publicae gratulationis et communium votorum interpres existet vir inlustrissimus IOSEPHVS LANGEN, RECTOR VNIVERSITATIS MAGNIFICVS. Eius ut orationi ceterisque sollemnibus prompto lubentique animo intersint, ipsius inlustrisque senatus nomine curatorem universitatis egregium, professores amplissimos, doctores clarissimos, commilitones ornatissimos, magistratus regios imperatorios urbicos spectatissimos et quicunque rebus nostris ac litterarum studiis bene volunt, qua par est observantia rogamus invitamus.